DE BEATO JOSEPHO CALASANCTIO
A MATRE DEI

Cl. Reg. Scholarum Piarum Fundatore

IN RECOLENDIS BEATIFICATIONIS SOLEMNIBUS


ORATIO
AD

S. R. E. CARDINALES

Habita in Ecclesia S. Pantaleonis VI. *Kal. Sept.* MDCCXLVIII.

A FRANCISCO MARIA BONADA A S. JO: EVANGELISTA

De Cl. Reg. Scholarum Piarum Eloquentiae Prof. in Coll. Urbano de Prop. Fide.



ROMAE MDCCXLVIII.

SUPERIORUM FACULTATE.

BENEDICTO XIV. PONTIFICI MAXIMO.

JOSEPH AUGUSTINUS DELBECHIUS A S. NICOLAO
Scholarum Piarum Praep. Generalis

QUANTUM Parenti ac Principi, cujus ſapientiam beneficentia adaequet, acceptum referri poteſt, tantum jampridem univerſus Scholarum Piarum Tibi debebat Ordo, BENEDICTE *Pontifex Maxime. Etenim apud nos & beneficio Parens & ſapientia Princeps appellabare, antequam fieres. Neque id profecto ſine cauſſa & graviſſima & maxima. Non anno ſiquidem uno, aut altero, ſed bene multis, quum Fundatoris Patriſque noſtri virtutes eſſent judicio Eccleſiae Sacro-*

sancto obnoxiae, eam Tu caussam studiis, laboribus, inquisitionibus & doctrinarum lumine plurimarum in tuto collocavisti. Auxit quoque beneficentiam in nos Tuam, qui abs Te voluit nostri felicitatem pendere Ordinis, ipse Deus. Neque enim sine alto quodam consilio factum est, ut, quod & unice & anxie votis omnibus optabamus, & quo egregia Josephi virtus adversariorum tela devicit omnia, argumentum inveneris in volumine situ & carie redundanti. Quid postea? Quum ad Petri solium, in quo tam pulchre Te sedentem colimus, ascendisti, num quicquam de pristina illa in nos clementia remisisti? Imo vero quum hoc sit animi Tui, quibus multa jam beneficia dederis, iisdem velle conferre plurima, ideo vix per diligentem rerum inquisitionem licuit, statim, ejus ut de miraculis ageretur, cujus virtutes in suo lumine collocaveras, benignissime concessisti. Atque ut cetera praetermittam, posterioribus hisce annis, & tanta quidem celeritate, ut rari admodum exempli sit, tres Congregationes beneficio divino immortalique Tuo habitae sunt: hoc autem anno non modo spem nostram quamlibet, sed vota etiam superasti.

rasti. Tribus enim continuis mensibus tria in nos beneficia contulisti, quibus illustriora mens nostra fingere non audebat, nedum optare. Quis crederet ad hanc clementiam quicquam amplius addi posse vel spectabilius? Tu vero, quod jam fieri non posse videbatur, cumulum quoque maximum addidisti. Etenim praeterquam quod Fundatorem nostrum in Vaticano tum sextili mense, tum triduo post augustissimum Dei Parentis triumphum, quae duo sunt apud nos mysterii plena, Beatorum numero adscripsisti, hoc etiam statuit sapientia Tua, ut eodem illo triduo, quo centum abhinc annis Josephi Calasanctii parentalia celebrata sunt, eodem illo triduo, hic ibidem praeclara haec solemnia recolerentur. Quod sane judicium Tuum & inusitatam filiis voluptatem attulit, & clarissimum fuit ac singulare Paternae gloriae argumentum. Fuerint enim alii, complures fuerint multo maturius ac celerius, quam Parens noster, Beatorum adscripti numero, eximia virtute viri & miraculorum gloria immortales. Quorum autem & anno seculari, qui in sacris litteris haud mysterio vacat, & illo ipso, quo parentalia triduo, ipsa Beatificationis solem-

nia recoli Ecclesia jusserit, si vel totius antiquitatis memoriam repetamus, nisi meus in Patrem me fallit amor, unum fortasse Beatum Joseph Calasanctium a Matre Dei inveniemus, praeterea neminem. Itaque quantum nos Tibi singuli debeamus, Pontifex Optime, sola potest cogitando comprehendere sapientia Tua. Quoniam vero ex quo apud Sanctam Sedem judicia de Josephi Miraculis inita sunt, ego, tametsi tantae procurationi impar, Ordinis administer fui, cujus nuper etiam auspicio Tuo suprema mihi administratio commissa est, is vehementer cupit Tibi a me potissimum gratias agi. Sed quum Tua in nos promerita majestate praecellant, id unice pollicebor, beneficiorum, quae breviter commemoravi, recordationem nostro fore in Ordine sempiternam. Quoties B. Fundatorem Patremque nostrum aut privatim aut publice venerabimur, eum toties enixe orabimus, suo ut Patrocinio vitam, quanto sua diuturniorem, tanto Tibi feliciorem a Deo impetret, qui per Te nostri Ordinis, quod erat optandum maxime, ipsam quoque originem consecravit.

ORA-

ORATIO.

ANNUS est ſecularis, anniverſarius hic ipſe eſt dies, quum ſacra haec aedes, pulvinaria haec ſanctiſſima Fundatorem Patremque noſtrum B. JOSEPH CALASANCTIUM A MATRE DEI, tametſi pompa funebri elatum & in ſqualenti jacentem feretro, nullis tamen gemitibus, nullis bonorum lacrimis complorari, ſed circumfuſa undique multitudine, quaſi jam caeleſtibus adſcriptum Civibus, communi omnium veneratione coli ac immortalibus prope honoribus affici conſpexerunt; & ita quidem, ut hoc templo multis hominum millibus circumſepto, tum frequentia populi inuſitata, tum matronae virique principes, & civitatis nobiliſſimae flos univerſus huc certatim confluxerit; libata veſtibus, preſſa manibus, jacentis ingeminata pedibus oſcula; aliis roſas, lilia, flores, coronas cujuſque generis in feretrum congerentibus; aliis, quod aut viventem aut mortuum contigiſſet, ſi vel tantulum inde auferrent, ſe felices ac perbeatos exiſtimantibus; ſummam aliis aut juſtitiam, aut caritatem, aliis alia extincti decora commemorantibus, ſummam omnibus ſanctitatem uno ore, conſenſu unanimi praedicantibus, nihilque praetermittentibus eorum, quae infinitam JOSEPHI gloriam ac reverentiam in eundem omnium ſempiternam magnificentiſſime ſignificarent. Quidni ita facerent? quum, ſacros hoſce parietes pompa funebri ſubeunte, vix annos quatuor, aut quinque natus exclamaret puerulus, Sancto plaudite, Sanctus advenit, ecce Sanctus? quum bene multi obſti-

ſtinatiſſimis, quibus jampridem vexabantur, doloribus ad ſanctiſſimi attactum corporis illico liberati ſanitatem ſibi redditam gratularentur? quum mulier genere haud ignobilis, ſed vitae licentia abjectiſque moribus jam prope perdita, huc ingreſſa, & ad feretrum non ſponte quidem, ſed ſui rogatu patrui, viqque populi ipſius undique concurrentis adducta, vix aliquandiu in jacentis obtutu conſtitit, ſic repente mutata rediit ad bonam mentem, ut intimo jam dolori nec modum faceret, nec finem lacrimis, & vitam paulo poſt religioſae auſteritati ſolitudinique mandaret; hoc eſt tanto hinc melior diſceſſerit, quanto acceſſerat flagitioſior? Quae quidem vobiſcum ipſi dum animo reputatis, Cardinales ampliſſimi, non tam fortaſſe ipſa rerum prodigia maximarum, quam id tacite admiramini, divino quodam conſilio contigiſſe, ut, cujus cadaver centum abhinc annis inſepultum ibi per ſummam piorum hominum multitudinem ac religionem triduo manere debuit, eodem illo triduo, hic ibidem effuſis populi gaudiis, hac templi pompa, hoc auguſtiſſimo orbis terrarum Conventu ſacris adſtante, illius glorioſum corpus e ſquallore ſituque ad vitam quodammodo refloreſcat, & clariſſima illius ſanctitas certantibus omnium ſtudiis honorificentiſſime celebretur. Veſtra haec cogitatio, Principes Eminentiſſimi, tum digna Vobis profecto eſt, tum virtuti, quam veneramur, maxime glorioſa. Etenim annum ſi ſecularem haud myſterio vacare ſacris litteris admonemur, quam multa colligi ex hac laudis praerogativa poſſent! quam praeclara! quam mirabilia! quam gloriae plena, & omnium digna litteris ac monumentis! Ego autem, cui nihil unquam jucundius fuit, quam tanti Patris haberi filium & nominari (haberi dico, neque enim me eſſe audeam cogitare, nedum gloriari) hoc potiſſimum mihi exiſtimo admirandum, in his nempe ſolemnibus elucere Parentis optimi ſempiternam in filios benevolentiam & caritatem. Perculſus jacebat univerſus ac miſere proſtratus Ordo Scholarum Piarum, quem ne omnes, jam aliis alio dilabentibus, deſtituerent, Patriarcha ſanctiſſimus & voce, & litteris, ſuſcepto ſemel ut in inſtituto perſiſterent, filios ſibi cariſſimos hortabatur, & appropinquante jam vitae exitu, quem ſibi palam praedixerat imminere, illud identidem uſurpabat; animae ſuaviſſimae mihi animae, in laudato vitae propoſito manete pro Chriſto fortiter & conſtantes eſtote; videbitis ſextili menſe, quid ille ſinet, quem frequenter experti, jure mirabilem appellamus in ſervis ſuis. Felices porro majores noſtri, qui completum paternae hoc caritatis oraculum ejus in Parentalibus conſpexerunt.

runt. Tota autem posteritas ac nos praesertim, quotquot primis omnium huic celebritati interesse divinitus datum est, quibus gaudiis exultabimus? qua laetitiae suavitate nobis mutuo gratulabimur? qua Te benevolentia, quibus Te studiis, Parens optime, prosequemur? cujus in nos caritatem tum innumerabilia praedicant argumenta, tum clarissime hoc oraculum evincit Tuum, quod tandiu commemorabitur, quandiu recoletur hodiernae institutum celebritatis, quod in Scholis Piis magnum in primis ubique gentium futurum est, justum legitimum, sempiternum. Ut igitur Tute Ordinem contemplans e caelo Tuum, jure haec potes e sacris litteris verba veri amoris plenissima ad eum vertere, *in caritate perpetua dilexi te*: sic historiam audientes, aut legentes Tuam illud de Te unanimes praedicabunt, *quum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Non est igitur, cur mihi in mentem veniat subvereri, ne quisquam consilium hoc meum improbet, si ceteras & varietate & numero & specie ipsa summopere commendabiles, quibus fuit Beatus Joseph apprime praeditus, eximias animi dotes aliis Oratoribus collaudandas relinquam, ego autem una ipsius de Caritate solicitus, ad eam duntaxat omne meum studium cogitationemque convertam. Amplissimi enim aliis ex Ordinibus Oratores, quorum hic eloquentia per hosce dies egregie triumphavit, in Josepho alii pietatis ac litterarum Propagatorem, Patriarcham alii sanctissimum admirati sunt; mihi vero & Patris laus est proposita, & coram maximis Ecclesiae Patribus. Virtus autem prae reliquis Parentum propria una est Caritas, ac Nostri in primis, cujus & omnem vitae statum & instituta & facta & dicta omnia caritatis divina vis admirabiliter illustravit, ac si virtutum ornamenta omnia nec rerum esse omnium possunt, nec temporum, nec locorum, haec illius ubique perpetua fuit quaedam veluti parens & moderatrix. Quid? si ex hac una ostendero, laudem profluere in Calasanctium summam, maximam, singularem? Rem sane dicam primo aspectu incredibilem, sed, pietatis judicio si habenda fides, non justitiae absonam nec veritati. Doctissimorum exemplo hominum miratus sum vehementer ac saepenumero, cur, quum Genitor sempiternus, ac Filius ipse aliquem sibi delegerint, quem prae ceteris omnibus eximie ac singulariter adamarent, solus ille Spiritus, qui se dulcissimo jubet Amoris nomine nuncupari, aeterni hanc [a] Patris, & Verbi [b] ipsius benevolentiam non aemulatus, nemini hactenus videatur, caritatis praerogativam dedisse suae. Ac sacris litteris alto id silentio involventibus, nemo non se fatetur hujus mysterii caussam penitus ignorare. Novit hoc fi-

Jerem. XXXI. 3.

Joann. XIII. 1.

a *Luc.* III. 22.

b *Joann.* XXI. 7.

ſiquidem, qui novit omnia. Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus id verbis exequar, quod tacite ſacri Interpretes venerantur? Nequaquam profecto. At qui CALASANCTII caritatem & omnem vitae ſtatum diligenter animadvertat, is mecum facile hanc in ſententiam ibit, non graviſſimas deeſſe cauſſas, cur, ſi unum ex omnibus Paraclitus ille Spiritus praecipuo quodam amore complexus ſit, feliciſſimus ille Vir, extitiſſe potiſſimum videatur BEATUS JOSEPH A MATRE DEI. Quam ſane laudem ſi argumentis eſſe veriſimilem comprobavero, nihil eſt, quod ad dignitatem amplius optare poſſit oratio haec mea, ſin minus, multam ei Veſtra conferet, quam imploro, Cardinales Eminentiſſimi, in audiendo humanitas, auctoritatem.

Tribus praeſertim rationibus intelligimus, Paraclitum Spiritum, quum in terras deſcendit, ſui beneficentiam ignis declaraviſſe. Primo ſiquidem, vix ſtatutus ab ipſa aeternitate
Act. 11. illuxit dies, repente & illico in Coenaculum delapſus eſt: tum flammis domum implevit totam illuſtravitque ſuis: demum ſedit ſupra ſingulos, quotquot dignos divino hoc munere nactus eſt. Jam qui ſerio conſideraverit, tria haec verba myſterii plena, *Repente*, *Implevit*, *Sedit*, is profecto fateatur neceſſe eſt, admirabilem quandam Celeritatem, Abundantiam, Firmitatem divini Amoris eſſe propriam ac peculiarem. Haec autem omnia in BEATO SCHOLARUM PIARUM FUNDATORE ſi perfecta, ſi ſolida, ſi perſpicua demonſtrabo, nemo, opinor, id quod propoſui, tribuendum exiſtimabit oratoris in eum amori potius, a quo vacuos in judicando nos eſſe oportet, quam veritati, cujus judicia ſunt & graviſſima & maxima. Jam vero praeclari Hominis caritatem in triplici vitae ſtatu conſiderate. Vobis autem eum in adoleſcentia Equitem, in aetate jam maturiore Sacerdotem, in ſenectute Patriarcham venerantibus, meum erit hac luce clarius id evincere, hunc Adoleſcentem in recte agendo celeritate fuiſſe tanta, ut quoddam veluti caritatis eximium opus ad ſanctitatem repente aſcenderit: hunc Sacerdotem in omne genus hominum tanta extitiſſe beneficentia, ut tanquam caritatis inſtrumentum omnibus ſalutare, non Aragoniam, non Romam modo, ſed multas etiam Eccleſiae partes impleverit luce ſua; hunc denique Patriarcham firmitatem animi habuiſſe tam ſingularem, ut, ſi ita loqui fas eſt, haud injuſte poſſit quoddam quaſi caritatis miraculum appellari. Haec tria quum demonſtravero, veſtrum erit, Eminentiſſimi Principes, hoc ſtatuere, non immerito filium ſic de Patre ſentire, ut hunc prae ceteris unum fuiſſe

putet, cui Paraclitus ipse Spiritus amoris praerogativam dedisse sui quodammodo videatur.

I. Augustissimus ille Spiritus, qui est totius Ecclesiae anima, cur suis in operibus, quae perfecta sunt omnia, celeritatem adhibeat singularem, ego quidem existimo, hanc esse caussam, quod divinam ejus potentiam a voluntate distinguere, tametsi mente liceat, re tamen ipsa nefas omnino sit, ideoque quum nihil neque majus habeat, neque melius, quam ut idem ad punctum temporis, quicquid velit, id quoque facere plane possit, minime mirum est, si incredibili quadam in agendo celeritate utatur, eo vel maxime, quod idem Patris & Verbi est Amor, quorum alter summa rerum potestas, ipsa alterum sapientia est, utriusque autem immensa vis tam quoque ipsius est propria almi Spiritus, ut, quaecunque velit, ea aeque agere velocissime soleat, ac sapientissime cogitare. At enimvero ab hoc laudis genere quam longe distat humana mens! quae si hanc gloriam aliqua ex parte attingat, illi acceptam refert aeterno Amori, quo feliciter, quicunque aguntur, eos merito Dei filios nuncupamus, & esse credimus. Divinum nempe Spiritum qui sequuntur, humanam quasi naturam exuunt, & se mirifice sentiunt, quantum ab hac recedunt, tantum accedere ad divinam. Fac autem ex mortalibus aliquem inveniri, qui supra aetatem egregie magnanimus divinitus repente agatur ad praeclara ad ampla omnia, nonne hunc prae ceteris arbitrabere divino hoc Spiritu inflammatum? Agite jam hanc virtutis imaginem in Calasanctio cognoscere si velitis, caritatis praeludia, incrementa, victorias considerate. *Rom. VIII.*

I. Quotquot sunt magnarum decora animarum, nulla repente existunt in hominibus summa. A primo tanquam ortu excitantur, paulatim succrescunt, tandem late funduntur. Quid? si in Calasanctio hic mutatus est ordo? quid? si summam habuit virtutem insitam ab ortu primo? Nondum is erat puer, qui comperto rerum discrimine videretur internoscere plane posse, quid esset in vita pulchrum, quid laudabile, quid honestum: non ejusmodi adhuc aetatis erat, cui certam deliberandi facultatem inesse diceres, quarum praecipue rerum se suscipere curam & perpetuam & anxiam oporteret: vim tamen inditam habuit ingenitamque virtutem, qua non modo caduca omnia nihili faceret, sed germanam intelligeret esse gloriam & sempiternam, pro qua & pericula obire, &, quod perfectissimae virtutis est, sanguinem quoque fundere paratissimus, cum hoste omnium infensissimo jam de vita de capite decerta-

taret. Nimis alta commemoro? Res ipsa dum loquitur, quaeso, diligenter attendite. A parentibus, quos genere factisque optimos nactus erat (fortes enim creantur fortibus) id acceperat; bestiam esse immanissimam, qua nulla nequior, perniciem ac pestem esse teterrimam, quae licet aeternis oppressa vinculis, arrogantia tamen intoleranda, bellum impium ac nefarium quotidie gereret, quo nihil humano generi perniciosius, nihil divino Numini importunius. Paterna haec dicta Josephum illico armaverunt. Exarsit ad haec repente flamma in pectore generosa. Non diu, veluti deliberabundus, quid expediret, secum tacite dubitavit: ut cognovit, hostis quis esset, ei statim irreconciliabile indixit bellum. Jam de gladio solicitus, oculos vitabundus omnium, interiora domus explorat omnia diligenter; atque ubi arma comperit accuratius custodiri, crescit ardor pugnandi, versante strenuos nunc indignatione spiritus, nunc pudore. Videres taciturnum, suspensum, anxium, de pugna de armis unice cogitantem, & incitatum semel animum accendi remorando magis, quam conterreri. Quid multa? Invento demum arreptoque telo praepropere ad hostem pergit. Obvio sibi amico, quo festinet? interroganti, ad belluam, inquit, ad pestem humani generis trucidandam: tum paucis excitatum verbis hunc sibi comitem addit ad magnum facinus, aliisque passim in itinere pugnae dat signum commilitonibus, quos, ut arma capiant, hortatus, bene sperare jubet, nihil praedicans aliud opus esse, quam bellum indici bestiae ostendique, cetera sua sponte propitium facturum Numen. Ex urbe egressis & conglobatis ad arma ruentibus est in conspectu nemus: illic belluae latebras dux esse ratus, eo recta pergit irarum speique plenus. Siste, obsecro, Calasancti, quo praeceps ageris? quid cogitas? quid moliris? te ne ad arma cum hoste congredi, qui nec cedere victus novit, nec victor parcere? mihi crede, ista nequicquam arma, nequicquam vires, nequicquam animos geris. Surdae ad haec aures, fixi in silvam oculi, voces hostem exprobrantes ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia sunt. Indignanti tandem insultantique ecce in medio arboris umbra aspectu horrifica, foeda, lurida, plus quam immanis: hanc esse hostem, ut erat, arbitratus, citato gradu in arborem conscendit illico; sed belluam dum provocat increpatque, fracto, licet valido, cui insistit, trunco, praeceps ad terram fertur, nulli tamen obnoxius vulneri, auctore ac praeside, hos qui impetus dederat, divino spiritu. Nunc quaero a vobis, Auditores, haec quum gereret Calasanctius, qua

tum

tum aetate extitisse putatis? Fortasse virtutem hanc, quae magna non minus ad mortem, quam ad caedem fuit, jam perfectam ducitis & absolutam: at ego recentem adhuc atque nascentem praedico. Tali quum spectaculo exemploque civibus esset JOSEPH, quum globo illi se ducem daret, nihil teterrimi quum monstri furias & contaminatum spiritum perhorresceret, quinimo ad arma lacesseret, eluderet, increparet, tenerae adhuc aetatulae, puer adhuc quinquennis erat. O praestantiam animi incredibilem! o pietatis indolem inauditam! o celeritatem caritatis eximiam! Illius in Ecclesia celebrabitur perpetuo decus illustris feminae, quam magnifice Tute laudas in Evangelio, Salvator optime, quae ut foeditatem cognovit suam, & tu quis esses, e vestigio tuos ad amplexus & oscula festinavit: & hanc virtutem non ipsa aeternitas intuebitur, hunc puerulum non omnium litterae commendabunt, qui vix scelerum auctore cognito, ejus statim internecionem & optavit quam studiosissime, & capitis quoque periculo procuravit? Quandocunque virtus in pretio erit & in honore sanctitas, futurus ubique gentium Praecursor Domini gloriosissimus est, quod infantiae impedimenta nescierit; & CALASANCTIUM gerentem nihil in opere puerile, & ad facinus incredibile properantem non venerabimur, tanquam caritatis exemplum inusitatae, & celeritatis in recte agendo plane divinae? At enim vix per aetatem, quid faceret, intelligere videbatur. Esto: quid tum consilii caperet, cui se periculo objiceret, ignorabat: illa ergo pueritia, quae quum velle nesciret, non poterat non ad ardua tendere atque inaudita, nescio quid extitit plus quam humanum, opus nempe, ut proposui, opus fuit eximium caritatis. Negas? at tenebrarum princeps re ipsa haud negat, &, qui veritas est, prodigio id comprobat ipse Deus, quorum alter, quod de Domino quondam, de servo tacite fortasse repetens, & hanc victimam esse parem existimans furori suo, mortem pretioso capiti intentavit; alter vero, bonam qui mentem dederat, noluit deformem hanc luctu lauream reportari. Praeludia haec porro amplissima caritatis, praeclara haec vitae exordia, quam deinceps incredibiliter aucta! quam celeriter quotidie ulterius provecta sunt!

Luc. v 37.

Ambros. Cōment. Luc. I.

Matth. VI 29. Venis huc an tēpus to quere no

II. Enimvero his praeludiis incrementa mirifice responderunt. Nobilissimis id Parentibus persuasum erat, non tam filium, quam caelestem veluti thesaurum aliquem sibi divinitus obtigisse. Quorum propterea quantus in eum amor, tanta in optime informando solicitudo fuit ac diligentia. Quanquam non est, cur admodum parentes hoc nomine commendemus.

ic. pro P. Nam si diligentia, ut inquit ille, quanta sit, nisi tempus & spatium datum sit intelligi non potest, mirari magnopere non debemus hujus diligentiam educationis, in qua diu laborandum non fuit, ille ut pudens probusque fieret, qui ad virtutem natus quicquid semel de officio audiret, intime insigebat, quicquid semel probatum cerneret, sedulo aemulabatur, & perfectae pietatis documenta potius, quam rudimenta quotidie dabat, perinde quasi egregiam vivendi rationem non ex aliorum praeceptis in venas animi trajecisset, sed, quae nos didicimus, accepimus, legimus, divino quodam munere ex ipsis sapientiae fontibus cum lacte ac sanguine hausisset expressissetque. Pueriles aspice occupationes. Ab otio ac lusibus alienissimus, divinis assuefactus unice amandis, nunc preces ad Deum fundit, nunc Caelestibus arulas ab se dicatas aut ornat floribus, aut salutat osculis, nullam sibi diei particulam elabi sinit, quin jam cogitet, jam faciat aliquid, quod alere innocentiam possit ac pietatem augere suam, quid dico suam? parum se boni facere arbitratur, sibi si soli prosit, ceteris praeterea nihil: ideo si minus omnibus, quod per aetatem nequit, sui certe similibus est ad fidem, ad honestatem, ad verum decus incitamento. Videor mihi videre oratorem hunc nostrum puerorum corona cinctum, quos spe, promissis, proemiis invitatos, nequid impotenter admonet, nequid temere, nequid improbe admittant, nulla ut praeoptent iis, quae nunquam erunt interitura; tum hortatus verbis exemplo hortatur, secum una ut vota faciant, ut concorditer ad illius confugiant opem, qui potest unus bonam mentem injicere injectamque constabilire. Adeo verum est, caelestem hanc animam, quum primum Divino Amori in deliciis esse coepit, ab eo fuisse singulariter adamatam. Vix ejus in pectore oborta caritas, statim adulta enituit, non flammae quidem, sed solis instar, quem, dum nascentem dicimus, jam pulchritudine sponsum, & Gigantem magnitudine admiramur. Dubitatis? ejus adolescentiam animadvertite. In domo natus splendida & copiosa nihil non earum habebat rerum, quarum qui copia florent, ii beati putantur: inter delicias tamen, vitiorum irritamenta, ita se integre casteque gessit, ut ex omnibus vitae commodis hoc solum caperet voluptatis, quod & eorum sibi spernendorum occasio divinitus oblata esset, & data pariter in pauperes egentesque, quos mirifice diligebat, exercendae opportunitas largitatis. Nobilitatis habita hominibus in pretio decora, siquis JOSEPHO defuisse putet, is sibi iratam sentiet Aragoniam universam, ubi in primis CALASAN-

CTIORUM nomen & florentiſſimum fuit, & adhuc in praeſens
floret, atque apud omnem, ut ſpero, poſteritatem, hoc Pa-
trono & Auſpice, glorioſis immortalitatis inſignibus coruſca-
bit. In hac domeſticae amplitudinis luce clariſſima num ver-
bo, vel geſtu ſemel, quod nonnulli ſcripſerunt ad nobilitatis
invidiam, illud eſſe veriſſimum comprobavit? Imo ab omni
non ſuperbiae nota, ſed ſuſpicione vacuus, tum ſe fore no-
bilem, quum ſua poſſet, non aliena oſtendere exiſtimavit,
atque in toto ſtudiorum curſu, quamvis ingenii celeritate fa-
cile omnibus antecelleret, tamen ſe nemini unquam praefe-
rens, ſibique derogans, quoad honeſtas ferret, perſaepe plu-
rimum, tam mirifica animi moderatione cum omnibus uteba-
tur, ut, quantum mentis altitudine ceteris emineret, tantum
eorum, quibuſcum verſabatur, aemulationi obſequeretur.
Verum hac ratione audio laudari ſanctitatem non ſolere. Mo-
deratum dici adoleſcentem non multum habet laudis in CA-
LASANCTIO. Religioſum, integrum, pudicum, juſtum, in vigiliis
perſeverantem, in ſeveritate magnanimum, in periculis for-
tem, in omni corporis afflictatione conſtantem, hae ſunt pro-
priae Beatorum laudes. Ecquam ex iis hic noſter non ſibi
conjunctiſſimam habuit ac perfectiſſimam? cujus omne ſtudium
hoc ſemper fuit, ut quaecunque bona vel naturalia dicimus,
vel divina non cuſtodiret modo, ſed augeret quotidie in me-
lius; quamobrem & illa aetate, cujus eſſe viam ignotam pe- *Prov. xxx.*
nitus inquit ſapiens, ab ipſo, inquam, juventutis flore, quae 18.
virtutes in Apocalypſi duae praeclarum efficiunt equitem ac *Apoc. xix.*
generoſum, eae JOSEPHUM ambae tam excellenter ornabant, 11.
ut jure poſſet optimo nuncupari & fidelis & verax. Non ami-
citiis, non familiaritatibus, non clientelis valere juſſis ita Deo
adhaerebat, ut ab hominibus non diſcederet; ſed ſiquid mi-
nus Chriſtiana pietate dignum aut audiret aut cerneret, ut
ejus repente vultus inflammabatur! ut illius ardebant oculi!
ut toto ex ore indignatio eminebat! ut illud Apoſtoli ad Ti- *Timoth. ii.*
motheum excercebat & prudenter & animoſe! Hinc quod ei 4.
a pueritia, idem ipſa in adoleſcentia contigit, ut Sanctus pu-
blice appellaretur, ac nemo vel impudentiſſimus, ubi is in-
tererat, quicquam improbe diceret, aut faceret impotenter.
Ergo nihil erat mali, quod CALASANCTIO comite non vita-
res, nihil erat boni, quod non eodem auſpice aſſequerere.
Quid mirum igitur, ſi more inſtitutoque majorum de Prin-
cipe juventutis renunciando quum Valentiae ageretur, hic
prae ceteris unus communi omnium aeque diſcipulorum, ac
praeceptorum ſuffragio delectus eſt, qui eam morum praefe-

cturam assiduitate, studio, diligentia gubernaret? Non sum hic vero praedicaturus, in dissidiis componendis, in corrigendis vitiis, in excitandis virtutibus, in tota denique illius veluti magistratus administratione, quantas ille res quantaque felicitate gesserit, ut ejus prudentiam, auctoritatem, fidem non secus boni diligerent, ac improbi formidarent, omnes summopere admirarentur: hoc brevissime dicam, non defuisse juvenes ad iracundiam pronos, qui JOSEPHUM tanquam Angelum sibi divino beneficio oblatum venerarentur, & universam pene adolescentiam eo adductam esse, ut assidua in templis, in scholis diligens, in Xenodochiis frequens auctorem imitaretur hortatoremque hunc suum, in disputationibus autem moderate, in familiaritatibus verecunde, in ipsis quoque solatiis innocenter ac sobrie versaretur. Heus tu quid agis? Apostolumne, an adolescentem laudas? adolescentem, sed eum plane, quem initio dixi opus fuisse eximium caritatis. Quid enim ad summa quaeque hic incredibilis cursus? quid tanta celeritas festinatioque significat? nisi ipsum e mortalibus fuisse unum, cui singulariter adesset divinus Amor, & quem eximia quadam ratione complecteretur. Nec enim non divini Amoris privilegio tribuendum est, quod tametsi multos argueret, id tamen affabilitate comitateque sua consequeretur, ut eos ipsos aequos a se dimitteret & placatos. Ejus enim in admonendo corrigendoque comitas tanta fuit, quanta corporis dignitas & pulchritudo, unde fiebat, ut animi splendore cum venustate corporis mirifice conveniente ejus egregia virtus multo esset omnibus amabilior intelligentibus, naturae auctorem magnis mentibus domicilia magna metari. At JOSEPHI de pulchritudine formaque corporis dum sermo incidit, mihi vos videmini, Auditores, nonnihil metuere ac suspicari. Siquae vero formido animis insideat vestris, omnem jubet vos timorem deponere vel ipsum JOSEPHI nomen, castimoniae laudibus in sacris litteris immortale. Hinc ergo tacite de triumphis admoneor ac victoriis optimi Adolescentis nostri. Audio quaedam esse pericula, ubi tela sunt nequissimi ignea, quae opportune retundere, nedum prorsus extinguere, fere prodigii loco habendum est. Sed ejus de victoria si leviter dubitetis, mihi credite, nitidissimo illi Spiritus Sancti domicilio injuriam facitis. Illustris feminae impotentia, incitamenta, illecebrae ita ferme in Hispania hunc nostrum ut alterum in Aegypto JOSEPH, & audacter & improbe obsederunt. Videte autem, quam sim parcus in Patris laudibus prosequendis. Ne colligo quidem ea, unde haec florescere

Ephes. VI. 16.

ora-

oratio posset: vosque etiam oro, ut de loco, de tempore, de ratione, de vi, de toto illo certamine, de irritamentis omnibus, quorum vobis in mentem venit, ne cogitetis quidem. Hoc unum animadvertatis velim, quod omnem superat admirationem. Proponite vobis ante oculos adolescentem clarissima jam victoria ornatum, qui similis victo potius, quam victori ad templum convolat: videte, ut prostratus ad aram Virginis intimo ex animo intimisque sensibus permoleste angatur, ut fundendis prae moerore lacrimis vix finem faciat, ut formam, ut pulchritudinem & comitatem incuset suam, nobilissimae ut matronae supplex veniam a Deo imploret, nullis singultibus, nullis omissis precibus, quas victis suggerit post offensionem dolor. Quarto scilicet vitae lustro culpam ibi agnoscere jam didicerat, ubi nulla culpae suspicio erat. Quid postea? animos ad rem attendite gravitatis atque consilii plenam. Si diutius Valentiae moraretur, si matronam, cujus apud omnes salva erat existimatio, amplius non adiret, prudenter veritus, ne hinc pateret rumori locus ac suspicioni, nihil tergiversatus, nihil, quid praeceptores, quid comites, quid affines, si insalutatos relinqueret, dicturi forent, nihil animo reputans, statim de discessu ex urbe sibi jucundissima consilium coepit. Alieno videlicet ut pudori consulat, nihil de suo cogitat, & paratus in oblivionem potius venire sui, quam caritatis, in tali casu celeritatem fugae cum Augustino existimat omnibus victoriae laudibus anteponendam. Quanquam non est, cur illam ego victoriam nominem, quam ipse nunquam vocare est ausus triumphi nomine, sed offensionis. Dici vix potest, quam diuturnum, quam asperum, quam cruentum sibi bellum indixerit, & quotidie multo, quam antea, crudelius instauraverit, statim ac Compluti, quo velocissime festinavit, alium veluti campum nactus est, in quo libere severissima illa virtus exspatiaretur, cui & praeteritorum recordatio acerba erat, & acerbior cautio reliquorum. Ut de corporis venustate, quam quotidie incusabat matronae periculum honestissimae creavisse, supplicium sumeret, quam paenae acerbitatem intentatam reliquit? Si adolescentiam, valetudinem, proceritatem corporis ex una parte consideravero, & ex alia victum aridum ac triparcum, qui haud semel in hebdomada vix panis satietatem & aquae admittat, animadvertero, vos eum mihi ostenditis cubantem humi, omnem sibi quietem ac somnum quoque perbrevem interdicentem: si in carceribus, in Xenodochiis munia quaeque vilissima obeuntem videro, vos eum mihi admirandum ciliciis tectum proponi-

S. Greg. Epist. ad ref. x.

Serm. 150.

ponitis, catenis incinctum ferreis, & flagellis armata manu, quasi perduellionis reum, se diris modis vulnerantem lacerantemque. Ad hanc vitae severitatem, quod jam fieri posse non videbatur, maximum interea cumulum addidit mortis acerbitas, quae primo Fratrem, spem domus unicam, CALASANCTIO eripuit, ac paulo post Matrem ipsam, cui debebat tantum, quantum fas est optimum optimae parenti filium. Magna utraque haec calamitas. Sed quam vix diuturnitas vicisset temporis, vicit animus, nulli dolori impar, sibi semper ubique par. Utinam vero certamini jam imminenti, quo nullum equiti, nullum adolescenti periculosius, reipsa praebeat se quoque parem. Gravissimam prospicio animo tempestatem, seu potius scopulum, ad quem, ut magnae felicitatis est non appellere, sic virtutis est plane maximae, appulsum non adhaerescere. Versatur mihi ante oculos hinc JOSEPHI pater, inde JOSEPHUS ipse. Ille generis claritatem, antiquitatem originis, avita pacis bellique insignia, varios magnificosque titulos jure etiam imperii non pauca in oppida praefulgentes, dum secum tacite reputat, ac majorum imagines intuetur, quasi eae sibi familiae solitudinem exprobrent, ad JOSEPHUM, qui filius unus, qui familiae superstes unicus, dies noctesque respicit, in JOSEPHO haeret, de JOSEPHO cogitat: hic vero, qui nobilitatem, potentiam, opes esse fumum ducit male sobrios excruciantem, qui ipsa pene a pueritia virginitatem Dei Parenti Virgini commendavit, neque commendavit modo, sed occulto etiam jurejurando spopondit, semper se fore virginem; justitiae hic custos propositique tenax, nihil de posteritate solicitus, magis ac magis animum in dies firmat, ferre paratissimus extrema potius ac dira omnia, quam se sinere conjugii vinculis irretiri. Ille assiduis interea precibus, ille epistolis & amicorum, & suis, domum ut respiciat, ad suos ut redeat, quotidie hunc orat; hic modeste, ut semper, nunc Jurisprudentiae, nunc Theologiae caussans & praestantiam & lauream, sibi ut per ipsum liceat aliquando optatissimis divelli ab osculis, deprecatur: ille iterum votis, iterum adest lacrimis, suae ut senectuti, ut solitudini, ut demum illi, quae vincit omnia, pietati cedat, paternis ut cedat jussibus, obsecrat, instat, urget: hunc sane exanimant, atque interimunt hae voces patris: vincit hunc ergo pietas, quem non vinceret ulla crux, ne mors quidem. Jam vero quid me vobis oportet dicere, quam obnixe vix reversus ad suos, quam vehementer undique oppugnaretur? quot artibus quot assidue machinis quateretur egregia mens? quid me vobis opor-

oportet, quae Josephi constantia fuerit, explicare? Satis hanc praedicat in vultu macies, satis enecti & oculi & genae squalidae, tum generoso pavimenta natantia sanguine madentesque parietes, me tacente, hanc satis abunde constantiam laudant. O quoties inter verbera exclamabat, dux Virginitatis tu, Virgo, meae oranti adesto! quoties, haec si ratio sit in proposito permanendi, fundere extremum optat cum vita spiritum! quoties pro te, castitas, cupit ac tecum mori! Haec dum accipitis, Auditores, ac vix potestis prae admiratione lacrimis temperare, parcite mihi, obsecro, si vos importunus tacite hortari videor, ut, quas admirationi tribuendas ducitis, prae moerore lacrimas effundatis. Cur ita? quia vobis Josephum nuntio voti compotem ac damnatum. Gravissimo, quem castitatis amore optavit, correptus morbo, quinetiam morti proximus, jam sensu ab omnibus pene corporis partibus abscedente, laetus fatalem expectat horam virginitatis martyr & caritatis. O te, Pater, miserum! o infelicem! o spes fallaces! o cogitationes inanes tuas! Accede jam, ad partes veni pietatis ultimae: libabis oscula mox postrema, albescentia mox lumina premes manibus ipse tuis: nunc, quid ille tuus intermortuis te roget vocibus, patienter audi: sine, inquit, priusquam te aeternum valere jubeo, sine ultima experiri: Sacerdotio me initiari jampridem cupio; deficiente nunc lingua hoc abs te oro, vovere ut sinas, id, si vixero, me facturum: sic enim aut minus iratum, si moriar, habebo Deum, aut tute mea felicius uteris opera, si convalescam. Quid faciat pater dolore perditus? non recusat, non abnuit. Respirate: salutis est certa spes: quid vos pluribus moror? evasit Joseph e morbo incolumis, jam concepti se voti cogitat liberare. Haec quum ita sint, ecquis hujusmodi in recte agendo celeritatem non prodigii simillimam veneretur? non illius unice dignam putet, qui hunc eximie dilexerit & eccellenter, divini Amoris? Quae puer, quae adolescens aut praeclare tentaverit, aut fecerit animose; qualem se in voluptatibus, in deliciis, in periculis exhibuerit; ut virtutis custos & propagator, ut familiae, ut nominis contemtor, ut demum sanguinis ac vitae prodigus pro castitate fuerit, recordaminor; praeludia scilicet, incrementa, victorias considerate; tum videte, num dubitandum vobis sit, quin adolescens, qui a prima aetate ad haec summa pervenerit, perfectissimum caritatis opus, & nitidissimum divini Spiritus domicilium extitisse merito judicetur.

II. Quam sane laudem non assentatorie Beato Josepho tribui multo etiam luculentius intelligemus, si ejus Caritas,

ritas, uti Celeritatem, sic Abundantiam videatur illius Spiritus, quem Paraclitum nominamus, excellenti quadam ratione praefetulisse ad communem omnium utilitatem. Magnificus in sanctitate Amor, quum totam, ubi eum Apostoli praestolabantur, implevit domum, hanc flammis ostendit suis vim esse ingenitam, ut, quibus feliciter illabuntur, intima cordium soleant illuminare, accendere, consolari; quae tria, qua potissimum ratione fiant, praeclare S. Bernardus explicat. Nam almum Spiritum scribit, tum mentem magnis undique erroribus occupatissimam edocendo, tum voluntatem ad egregia virtutis decora inflammando, memoriam denique de futura in nobis gloria admonendo, lucem mentibus salutarem, facem animis generosam, ac divinam penitus omnium cordibus instillare jucunditatem. Tria haec ut BEATUS JOSEPH in Sacerdotio gesserit, non est tam facile comprobare, quam difficile statuere, quae praesertim dicenda sint, quae silentio praetermittenda. Video enim, aut a me multa, aut me a tempore deseri oportere.

Serm. I. Pent.

1. Ac primum quam late patuerit Sacerdotale hoc lumen & caritatis divina lux, Ecclesiasticis e negotiis, quibus ille interfuit, aut praefuit, & officiorum, quae sustinuit, ipsa ex varietate cognoscite. Nondum sacris Ordinibus initiatus, jam celeberrimo Jacae Episcopo, cujus erat nomen integritatis & sapientiae laudibus Salmanticae, & universa in Hispania praeclarissimum, operam ipse suam in Pastoralis Officii solicitudine rogatus praestare debuit, & quanta cum Ecclesiae utilitate, argumento id esse potest, quod hinc discedens, paternis ut nutibus inserviret desiderium sui reliquit & memoriam omnibus sempiternam. Vix ad Sacerdotium ascendit, statim certamen quoddam non unius Ecclesiae fuit, eum ad se votis ac studiis omnibus invitantis. Quam Lobeto, quam Ilerdae, quam Urgello beneficum hoc instrumentum fuerit caritatis, si persequi dicendo vellem, quantus huic orationi campus aperiretur! Dicerem in Episcopatu Lobetano, ubi & Theologi nomen habuit, & disciplinae Ecclesiasticae moderationem, non minus sacris, quam cunctis plane Ordinibus assiduitate, studio, diligentia incredibiliter profuisse. Dicerem cum Ilerdae Episcopo in augustis Aragoniae, Valentiae, Cataloniae comitiis locum habuisse perhonorificum, neque ab Episcopis modo, & Dynastis, quotquot illic aderant, spectatissimis, sed etiam a Rege ipso Philippo II. prudentiam ejus probe fuisse cognitam & probatam, atque id temporis Ordini antiquissimo, cujus est auctor lumen Ecclesiae maximum Augustinus,

ad

ad severiorem regulam adducendo opem & auxilium consilio dedisse suo. Dicerem auctoritate Regia ad Ecclesiam Montis Serrati eodem cum Episcopo delegatum, illic in constituendis judiciis, in dissidiis componendis, in excitandis omnibus, quae jacebant injuria temporum, aut factionum impetu perculsa atque prostrata, contra audaciam fortissimum, ab innocentia clementissimum ea fecisse, quae antea nemo alius, & ea quum faceret, nihil eorum praetermisisse, quae loci illius sanctitati maxime convenirent, ita ut se praebuerit ea in legatione talem, qualis esse & judex integerrimus in negotio debet, & in deserto sanctissimus Anachorita. Dicerem in Urgelli Diaecesi amplissima, qua praesertim Ecclesiam Trempensem, & Vallem Barrebes in Pyraeneis respicit, nullam esse montium altitudinem tam difficilem, confragosam, imperviam, inaccessam, quo laboribus fractus, & caritate fervidus non ascenderit, nullam esse vallem tam gelu horridam, tamque altis oppletam nivibus, quam, saluti ut esset incolis, non penetraverit, non locum esse, non oppidum aut tam desertum, aut tam inhumanum, cui non lucem attulerit, non Sacerdotes, non populos tam agrestes ac barbaros, qui vix coeperunt ejus adspectu frui, vitae fructus non se accepisse maximos fateantur: quare hunc si Sacerdotem vidisset David, illud ejus de caritate libere praedicavisset, sicut ignis, qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes. Hacc atque alia id generis varietate, numero, magnitudine admirabilia dicerem, sed tamen facere nullo modo possem, quin multo plurima & maxima praeterirem. Huic ergo muneri quoquo modo satisfacturus, confuso temporum, locorum ac rerum ordine, omnia velut in unum congeram, atque ut potero, commemorabo, quae in Diaecesibus gesserit, quas antea nominavi, Urgelli in primis ubi sacrarum rerum ignorantia erroresque teterrimi Sacerdotum animos obcoecaverant. Ex quorum inscitia, qualis esset popularium vita, facile tute vides. Nihil enim incertius vulgo; nihil propensius ad omne facinus, nihil in suscepto semel errore imperita multitudine pertinacius, si praesertim eos auctores habeat, quos esse existimat sapientes. Sacerdotes igitur ut ad sanam doctrinam reverterentur, providendum Calasanctio fuit? opportune providit: eorum ipse debuit avaritiam increpare, libertatem arguere, vitam ad Evangelii regulam emendare? increpavit, arguit, emendavit: cunctis deinde aetatibus atque ordinibus lucem afferre oportuit? quae ad Christianas leges pertinent, explicare? labantes in fide animos confirmare? alios re, alios gratia, alios consilio, omnes prae-

Psal. LXXXII. 15.

praeceptis salutaribus adjuvare? & haec quum faceret, nihil mortem vereri? fecit haec omnia & constanter & fortiter. Quid non addam & feliciter & auspicato? Iis enim ipsis, qui, quasi furiarum taedis ardentibus agitati, mortem saepe divino homini intentaverant, ejus nunc aedes sunt perpetuo refertissimae: intrantes alios, alios exeuntes, alios hunc circumsistentes cerneres venerantesque tanquam caeleste lumen & Angelum ad sui salutem divinitus delegatum. Talia quum admiramini velut maxima sint, ad multo illustriora vos jam invitat Josephi caritas. Barcino, siquae in Hispaniis alia, praeclara civitas ob nobilissimae raptum Virginis intestinis undique seditionibus agitatur: quae privatis parietibus aliquandiu se continuit mali vis, foras erumpente, itur undique ad arma, ad caedem undique ad sanguinem volitatur: seditiosorum turbae torrentis more huc illuc ruunt, in solo suo paratae facere, quod vix facerent in hostili: infelix civitas, quaecunque vincat aut vincatur factio, magnam stragem suorum spectare debet. O rerum status infelicissimus! cui consulere non unius viri virtus, aut si unus potest, is esse debet, quem divina terris Providentia commodarit. At quis hic magnus? Unus ille, qui Barcinone poneret in tuto omnia, hic noster fuit, de quo multa non dicam, quum non opus sit verbis, ubi facta loqui videntur. Auctoritate Regia vix illuc ab Episcopo delegatus tantum consilio valuit, ut novi instar sideris compleverit repente omnia splendore suo, seditione in concordiam nullis tacendam seculis immutata. Jam quae terrificis antea jurgiis & clamoribus, festivo nunc circumsonant plausu omnia; is interea, cujus amplexus expetit tota civitas, Christi exemplum sequutus, quibus salutem dedit, omnium ab oculis quam citissime declinavit. Nam beneficia solebat & magno animo dare, & magno oblivisci. Non Cataloniae, non Aragoniae minus, quam totius plane Hispaniae in oculis atque laudibus versabatur, erat is tamen sibi omnium abjectissimus, imo nullus. Raro se quis ignorat; in tanta luce hic se penitus ignorabat. Vix coepit ergo divinitus, Romam ut pergeret, admoneri, nihil cunctatus, spem illic certam & infinitam deferens, Romam venit. Augustissima urbs Mundi domina, egregiae hujus animae caritati, quae sicuti lucem suam in multas Hispaniae partes large diffuderat, sic tecum ardorem suavitatemque liberalissime communicavit, si multum dicendo detraham, mihi ignoscas necesse est. Hanc enim orationis partem nemo arbitrabitur se posse commode sustinere, nisi qui aut disertissimus sit, aut omnium maxime indisertus. Per-

strin-

ſtringam igitur de multis aliqua, illudque in primis, hunc Sacerdotem, antequam conceptum e Caelo ignem in aliis accenderet, in id animum intendiſſe, idem ut ignis in corde ſuo magis ac magis accenderetur.

II. A Cyrillo Alexandrino accepimus, naſcentem adhuc Eccleſiam in more poſitum habuiſſe, ut fidei dogmata recentibus Chriſtianorum mentibus ad ſepulcra Martyrum inſtillaret. Praeclare quidem. Sic enim filios habebat ſimul & praeceptis edoctos, & exemplis ad fortia quaelibet inflammatos. Antiquitatis hoc inſtitutum tum prae multis aliis ille Romanorum Apoſtolus Philippus Nerius, tum Fundator ac Parens noſter amplexus eſt, quem vix Romam ingreſſum, non majeſtas ad voluptatem, non amaenitas ad delectationem, non nobilitas Urbis ad cognitionem, ſed ſola Eccleſiarum ſanctitas, ſola ſepulcra Martyrum invitarunt. Venerandae illae tenebrae, illa nox, triumphales lapidibus exſculptae palmae, antiquae fortitudinis auguſta pignora, tot Martyrum umbrae pallidae, tot paſſim victimae, tot Sacrificia, quam novis in diem facibus caeleſtem animam accendebant! tot inter victimas ut Sacerdotalis haec caritas inflammabatur! Quae illic lacrimae! qui ſingultus, & oſcula! Deficientibus, quos optabat, cruciatibus, libenter illic aut exhalaſſet animam, aut vitam morti ſimillimam cum Chriſto in Deo abſconditus deduxiſſet. Sed tantus quum eſſet Vir, qui deliteſceret in Urbe tanta? Gaudeo itaque gaudeo, Columnenſium auguſta domus, te primam omnium huic virtuti facilem ad te aditum praebuiſſe: gaudeo, M. Antoni Cardinalis ampliſſime, iis temporibus Eccleſiae Princeps, nec multo ante Concilii Tridentini columen venerandum, gaudeo, hunc Theologum abs te delectum, huic traditum abs te nepotem, cariſſimam tibi animam, & juſſu tuo non alio hunc iſtic, quam patris nomine nuncupatum. Mox nepos jam ſentiet, ſanguis tuus, mox feliciter tute ſenties, & tota domus hujuſce Patris dulciſſimum eſſe nomen, ſapientiam maxime ſalutarem. At vero Patri ipſe meo nimis eſſem injurius, ejus ſi caritatem unius domus, licet omnium, quae Romae ſunt, facile ampliſſimae, anguſtis ſpatiis ac terminis circumſcriberem. Ad altiora quotidie tendens Joſephi pietas omnes prorſus, ut temporum, ſic locorum officiorumque limites ignoravit. Teſtis eſt in Sanctorum Apoſtolorum illuſtris illa virorum Principum Congregatio, in aegrotis inviſendis ſublevandiſque aſſidue occupata maximeque ſolicita: teſtis eſt altera, cujus omne ſtudium in populo de rebus fidei ſalutariter edocendo, inſtituto vere Apoſtolico, di-

diligenter accurateque impenditur: testis est tertia itemque nobilissima, quam Stigmata Sancti Francisci gloriosam faciunt, ejus autem imitatio gloriosiorem: testis est illa pariter, quae ob egregiam in Peregrinos pietatem nomen habet splendoris majestatisque plenissimum, utpote ab augustissima Trinitate desumtum: testis est demum illa, quam a Suffragio nuncupamus, Congregatio per se ipsa summopere commendabilis: testes quoque sunt nobilissimae in Campo Martio Sancti Benedicti filiae, & ad Flaminiam in Sancti Silvestri Virgines ornatissimae, & in Sancti Josephi supra Pincium castissimae Christi sponsae; testes vero jam omnes pauperes, atque omnes advenae ac peregrini, denique omnes carceres, & xenodochia, tum in singulis omnia plane morborum genera atque aegroti. Etenim aut quas honoris caussa nominavi, Congregationes tum universas, tum singulos in iis Fratres consideremus, etsi sua sponte satis incitatos, hic tamen noster morum innocentia, vitae integritate ac pietatis ardore ad cuncta caritatis officia tam mirifice accendit, ut eum omnes non tanquam fratrem, sed parentem veluti amantissimum exquisitissimis ad Caelum laudibus efferant, illi aras, illi pulvinaria exornent, diesque festos instituant, & de honoribus huic Patrono publice conferendis inter sese contendere videantur. Illa vero Coenobia Virginum, quae & honoris caussa commemoravi, quantum Calasanctio debeant, non argumentatione, non conjectura intelligatur necesse est: illic quippe lampades si minus extinctas, deficiente jam certe oleo elanguentes iterum ille accendit excitavitque, hoc est purissimas Christi sponsas ad optima quaeque inflammavit, earumque tranquillitati atque concordiae saluberrimis institutis, decretis, legibus opportune consuluit, quarum viget in praesens adhuc exercitatio, nedum memoria nullo unquam tempore interitura. Neque non illud fuit, quod jampridem orationem invitat meam, propemodum incredibile ac singulare. Librorum lectione assidua, caelestium contemplatione non interrupta, jejuniis, vigiliis, flagellis, ciliciis laboribusque enectus, quum sine somno, sine quiete,
II. Cor. VII. 5. usurpare illud merito posset, nullam habuit requiem caro nostra, quum apud Cardinalem non tam dignitate, quam sapientia Principem munere per se gravissimo fungeretur, quum hoc salvo semper officio, septem Urbis Ecclesias tam longe dissitas pedes quotidie inviseret, & tanta quidem celeritate, ut pronus in terram gradiens cadenti potius, quam incedenti similis videretur, qui fieri potuit, nisi idem & fortissimus es-

set,

set, & cujus, ut ita dicam, esset anima ipsa caritas, quomodo fieri tandem potuit, per fidem vestram, ut nullum esset officium tam sanctum, nulla vitae exercitatio tam laboriosa, quam non studiosissime amplecteretur facturus se cum Apostolo omnibus omnia, omnes ut lucrifaceret Christo Domino? Vix hoc quidem credibile existimaveris: JOSEPHUS tamen, quasi popularium moribus emendandis unice occupatus, rusticos homines in Ecclesiis, in plateis, ubicunque liceret & de sacris Mysteriis sedulo edocebat, & ad sola caelestia concupiscenda mirabiliter inflammabat: JOSEPHUS peregrinos & advenas in hanc Urbem undique confluentes benignissime excipiebat, & caelestibus hinc thesauris ornatos in patriam redeuntes amantissime amplectebatur: JOSEPHUS nulla carceris foeditate, nullo squalore territus captivis omnibus praesto erat, & verborum lacrimarumque vi mores improbos, vitamque vitiis ac flagitiis perditam ad bonam frugem mirifice revocabat: JOSEPHUS aegrotos quotidie invisebat, & aliis fraterne assidens, cruentam aliorum saniem quandoque lambens, alios aliter adjuvans, sic omnium animos commovebat, ut ad cruciatus etiam vehementissimos, & mortem ipsam pro Christo fortiter obeundam excitaret, raperet, inflammaret. Quid? quod aegroti interdum, puellae etiam morbi diuturnitate contabescentes non modo ferrent constanter acerba omnia, sed ad doloris quoque necessitatem cruciatus addere voluntarios non dubitarent? Nonne sanctissimus hic Sacerdos alter videtur Abraham, qui gladium simul praeseferat ad divisionem animae & spiritus pertingentem, ignemque pariter, quibus semel adhaesit, cordium intima comburentem? nonne merito praedicabitur quoddam veluti instrumentum admirabile caritatis, aut potius excellens illius Spiritus administer, qui & fons bonitatis inexhaustus, & ignis consumens est?

Hebr. IV. 12.

Hebr. XII. 23.

III. At jucundissimi est hujus ignis suavitas quoque in adversis propria & consolatio incomparabilis. Hanc vero caritatis gloriam in B. JOSEPHO pariter eluxisse illa tempora evincunt, illa illa, inquam, acerbitas temporum immanissima, quae commemorari sine horrore non potest. Morbi lues teterrima pestilentiae haud absimilis, Urbe capta, palam grassabatur, & tot quotidie passim funera producebat, ut dies noctesque planctus undique audirentur: curatione deinde ipsa vulgante morbos, mortuisque aegros, aegrisque validos conficientibus, jam filios cerneres a parentibus, fratres a fratribus, viros ab uxoribus aut metu desertos, aut desperatione neglectos. Ecquos non terreret aliena mors similem quoque interitum expectantes?

tes? At terruerit alios haec rerum facies, non te certe ab officio deterruit, quin etiam inflammavit, Beate Joseph. Tum nempe apparuit, quanti pauperum vitam faceres, quanti tuam: tum misericordia enituit, tua tum caritas triumphavit. Quis enim, dum tanta vis ingruebat mali, quis perpetuus Sancti Camilli comes & socius fuit? quis tum assiduus in Xenodochiis? quis nulli amoris, nulli pietatis officio defuit? Tu duo millia philippeorum & amplius, quae tuis ex proventibus feceras tibi reliqua, in communionem illorum temporum contulisti: tu pro pauperum & languentium subsidio te divitibus supplicem abjecisti: tu servum, quem nunquam antea, tu jumentum medicinis & alimentis onustum, quocunque pergeres, deduxisti: tu denique in tanto casu nunc corporum, nunc animorum de salute solicitus, nunc assidens morientibus, nunc aegros recreans consolatorem, ac potius patrem te omnium amantissimum praebuisti. Josephum ita dum alloquor, nonne vobis haec, quae auditis, cernere oculis videmini, Cardinales Eminentissimi? Nonne hanc Urbem lucem Orbis Terrarum luctu ac maerore perditam videtis? Non frequentia funera, non promiscuam internecionem? non versatur ante oculos vobis in luctu publico Calasanctius? non suis manibus & cibum parat, & aegros reficit? non per fenestras, si nequeat aliter, in domos intrat, futurus aut subsidio morientibus, aut extrema mortuis officia paraturus? non languentibus adstat? non morti proximos orat, aeterna ut cogitent, ut omnia ferant pro Christo fortiter? non demum, si minus
Thes. 1. verbis, re certe ipsa cum Apostolo inquit, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras? O divini Numinis providentiam vere paternam! Quan-
Job. v. donam, si non id temporis eam caritatem, quae vulnerat, & medetur, in suo lumine collocasti? Si Populus hic tuus ob aliqua scelera plectendus erat, quonam modo ejus vulneribus opportunius mederi poteras, quam Camillo simul, & Josepho oblatis, qui afflictos recrearent, jacentes erigerent, ac majorem in modum consolarentur? Quod enim par amicitiae Sacerdotalis fuit unquam in hac civitate conjunctius, quam fuerunt inter se Camillus, & Calasanctius? qui tantus fuit labor unquam, quem, prodessent ut omnibus, non susceperint? aut quae tanta fuit utilitas, quam huic Urbi desperatae ac prope perditae non attulerint? Et vestra haec societas, egregiae Animae, adhuc opinor, in caelis viget. Neque id justissima sine caussa existimo. Me enim obstinatissimo & reumatismo & suspirio laborantem, quum ad extrema deductum jam desperare artes

iberent omnes, vestrum me patrocinium desperare non jussit, vobisque hanc, qua fruor, me fateor debere vitam, & prius mei me oblivio capiet, quam vestrae istius in adjuvandis miseris conjunctionis & societatis. At ne discedere a Patre videar, ejus caritatem in aegrotis egentibusque jucundissime reficiendis eandem omni loco ac tempore, perpetuo nimirum & ubique beneficentissimam extitisse, ut alia missa faciam, illud clarius hac luce probat, quod ex Ecclesiasticis domesticisque redditibus, si vestitum excipias, quo frequenter etiam Sacerdotis cujuspiam honestati & inopiae providebat, ne tantulum quidem in rem suam convertere consuevit, omnibus in pauperes erogatis, ad quorum commodum vivendum sibi esse statuerat, non ad suum. Fuit igitur consolator hic pauperum semper idem, nisi si ejus caritatem fecit aliena interdum calamitas clariorem. Hoc & in illo, quod paulo ante commemoravimus, & in eo, quod biennio post Romae contigit, incommodo compertum est. Tiberis aquarum insolita magnitudine super ripas effusus, infestiore, quam saepe alias, alluvione illatus Urbi aedificia multa evertit, homines quoque multos impetu repentino in profluentem rapuit, &, quod universae attulit civitati, damnum superavisse legitur decies centena millia philippeorum. Ponite vobis ante oculos, qualis tunc esse debuit, tristissimam rerum faciem, cadentium tectorum fragorem, vias undique oppletas aquarum vi, puerorum gemitus, mulierum ejulatus, eversas domos, natantia cadavera, ipsam Urbem in suorum metu ac periculo obstupefactam: tum fingite cum Sacerdote hoc nostro sic caritatem agere, & quodammodo tacitam loqui: Josephe Calasancti quid agis? tune paupertatem, quam tibi unice commendavi, desperatam relinques? familias domi inclusas & quasi obsessas, quae te Virum misericordiae vocant, prae summa victus inopia languere, contabescere, interire patieris? ubi illa pietas, quae alienis calamitatibus nullius oratione evocata solebat ipsa occurrere sponte sua? non miseros ejulatus audis? non projecta vides cadavera? illi abs te ejulatus auxilium petunt; illa illa projecta ad ripas cadavera sepulturam tacite abs te implorant: quid tandem impedit Te? tuane dignitas? at in Hispania, quum in dignitatis gradu perhonorifico versarere, jumentum in foveam prolapsum, luto & pondere impeditissimum, cui sublevando & servus tuus, & villicus erant impares, Tute solus, rustico ut opem ferres, tuis sublatum humeris in tuto collocavisti: an virium imbecillitas? at robore & proceritate corporis, qua vales plurimum, navem in Hispaniis, quam ne mo-

movere quidem magna nautarum multitudo poterat, Tu solus ex arenarum tenacitate, ubi adhaeserat, obstupefactis hominibus eduxisti: an periculum times? at quandonam, aut cujus ob periculi metum salutem pauperum neglexisti? Perge igitur; quo tua Te virtus rapit; ne inopes, ne cadavera fac frustra opem implorent tuam. His tum sanctissimis caritatis vocibus, ut illico & animose responderit hic Tobias, ut inundatis undique itineribus ad domos accesserit, ut victu inopiam sublevaverit, ut humeris ipse suis cadavera in tutum vexerit, tu Roma nosti, ubi haec gesta sunt, quae si alibi dicerentur, plus famae habitura essent, quam fidei. Fecit enim tunc JOSEPH omnia, quae ipsa faceret caritas, si mortalibus induta spoliis sese ad nostrae conditionem humanitatis accommodaret. Etiamne in tanta praeclare factorum copia vel expectari majora, vel optari meliora possunt? Et tamen JOSEPH a se optari jubet expectarique longe etiam illustriora. Consolator ut esset omnium non Romanorum modo, sed nationum etiam ac gentium plurimarum, rem cogitavit apprime omnibus salutarem. Nunquam homines vehementius affictantur, quam tum, quum periculum intus residet, & inclusum penitus in venis est atque in visceribus continetur. Tecti ad alienos esse possumus, intimis vero ab hostibus domesticoque bello cavere tandem quî possumus? Quo jam spectet oratio haec mea, neminem arbitror ignorare. Adolescentia, quae civitatibus admirabiles affert utilitates, si pudens, si proba sit, si praeclaris ad officium & honestatem exemplis ac litteris informata; si secus vero, universae reipublicae privatisque domibus exitiabilis esse solet; adolescentia, inquam, & pueritia, plebis praesertim infimae, erat iis temporibus sic otio de-
Thren. 14. dita, sic inculta, ut tum potissimum impletum Prophetae ora-
4. culum videretur: parvuli petierunt panem, nec panem iis, qui frangeret, inveniebatur. Huic malo maxime omnium tetro periculosoque ut opportune consuleret, quid non ille tentavit? quid non molitus est? saepe hac de caussa supplex ad Deum confugit: saepe Senatum Romanum, saepe viros gravissimos, ut hanc provinciam susciperent, obsecravit. At optanti quaerentique, hoc qui munere fungeretur, Tibi, inquit
Psal. x. 9. Deus, tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Vix hoc audiit, ad opus illico festinavit. Columnensi domo valere jussa, jam magistros impensis conducit suis, jam scholas aperit, jam ejus bonitas commune pauperum perfugium est. Age vero, quod Romae facit, si multis jam in oppidis & provinciis egregie faciet, ac teneras puerorum mentes prae-

ceptis optimis imbuendo, malorum stirpem ac semen evellet, opprimet, dissipabit, id nempe efficiet, ut aeque parentes ac civitates optimorum utantur & civium opera & liberorum, non sane immerito neque assentatorie, sed jure optimo nuncupabitur non unius quidem populi, sed communis omnium consolator. Verum hic locus postulat, ut BEATUM JOSEPHUM veneremur non tanquam optimum Sacerdotem, sed sanctissimum Patriarcham. Interea porro quum Paraclitus abundantiae largitatisque suae proprium esse ostenderit, illuminare, accendere, consolari, quumque tria haec munera strenue is praestiterit, quem laudamus, illud jam restat, ut fateamur, divinitus illi inditam caritatis abundantiam singularem, eundemque tum jucundissimum divino Amori, tum ipsius administrum omnibus beneficentissimum extitisse. Haec hujus est Sacerdotis laus, nunc, quae fuerit Patriarchae gloria, videamus.

III. Trifariam potissimum delapsus in terram caelestis Amor firmitatem probavit suam. Sedit enim in Coenaculo supra singulos, in iis nempe sedem sibi stabilem collocavit, quae ne ullo unquam labefactata motu leviter vacillaret, omnia sustulit impedimenta stabilitatis. Apostolorum constantiae obesse poterat, aut ipsa muneris difficultas, aut calamitatum acerbitas, aut opprobria, quae imminebant undique vix ferenda. Sedit ideo supra singulos almus Spiritus, iisdemque inauditam in proposito fortitudinem, intimum in calamitatibus gaudium, immortalem in opprobriis miraculorum gloriam impertivit. Quae quidem singula, nisi in BEATO JOSEPH summa fuisse probavero, per me licet, quae antea dixi, quaeque commemorabo, amori potius in eum meo tribuatis omnia, quam veritati.

1. Ac primum quis CALASANCTIO fortior in proposito unquam fuit? qui a quadragesimo primo usque ad secundum supra nonagesimum vitae annum in suscepto semel gravissimoque munere ita perstitit, ut non aegrotis, non villicis, non peregrinis, non carceribus, non Congregationibus, quas antea nominavi, unquam relictis, nec quotidiana, nisi post multum temporis, septem Urbis Ecclesiarum lustratione interrupta, tametsi ab iis, qui sponte ipsi sua vel pretio conducti ad eum accesserant, proditus non semel fuerit ac desertus, tamen animo non defecit, paratus onere potius opprimi, quam pueros sibi divinitus commendatos aut propter rei difficultatem dimittere, aut propter infirmitatem virium derelinquere. Animus est, qui beneficiis dat pretium? non dicam inveniri, sed fingi vix potest animus illi par, qui beneficia ideo daba-

ut,

ut, quod oportebat, se facere arbitraretur. Uti corporum, sic animorum vitia molliter tractanda sunt? nullum fuit industriae genus, nulla mansuetudinis, nulla clementiae pars, in qua illum cura bonitatis & puerorum solicitudo non exercuerit, solitum praeceptoribus alios aliis adolescentes tradere, sibi parvulos, sibi egentissimos, dulcissima Christi pignora, reservare, eos arte mollissima condocefacere, iis unice delectari, neque id solum florenti adhuc aetate, sed senectute extrema, spectantibus interdum Cardinalibus amplissimis, & ad ejus assiduitatem incredibili admiratione quadam & stupore defixis. Quotus enim quisque hanc ejus in proposito firmitatem non admiretur, si, quis esset JOSEPH, & quae ejus Romae existimatio, intueatur? Nobilitate nemini secundus erat, & viles, abjectos, miseros non Christianorum minus, quam Hebraeorum liberos (quanquam hosce haud diu propter parentum nequitiam) amores ac delicias vocabat suas. Doctissimis quibusque viris erat eruditione par, & multo habebat suavius balbutire cum parvulis, quam cum sapientibus disputare. Ab Hispaniarum Rege, Summisque Pontificibus saepe ad Ecclesiasticas dignitates, easque amplissimas invitatus, se satis Ecclesiae profuturum existimabat, si Dei sapientiam aemularetur, qui populum e captivitate suum liberaturus, non classes exercitusque permagnos in Pharaonem concitavit, sed, id quod illius superbiam maxime profligavit, insectis abjectissimis usus est. Eodem ferme modo Vir sapientissimus de populorum salute dies noctesque cogitans, Christianae libertatis hostem vindicaturus, pueriles in eum copias comparavit, quas dum instrueret, quicunque JOSEPHUM intuebantur, illud, credo, quod praeclare Cyprianus ad aliam rem, tacite usurpabant; res illic geritur, nec videtur, occulta plaga, & poena manifesta. Hujus enim educationis fructus non ii fuerunt, quos unius possit orationis ambitus comprehendere. Satis est eos ex Praeceptoris laboribus conjicere. Praeterquam quod nullum interdiu habebat momentum temporis a laboribus vacuum, noctu quoque puerorum utilitatibus invigilabat, occupatus propterea nunc in eorum scriptis diligentissime emendandis, nunc in calamis eorundem usui disponendis, nunc in scholis ac locis etiam foedissimis expurgandis, nunc demum curando, idiomate ut Italico bene ipse & scriberet & loqueretur. At cetera dum contemplor, jam minus hanc virtutem miror nullo vel proemio, vel toedio victam. S. Franciscus Salesius, ille Episcopus ille Vir, cujus & scripta & gesta sunt ampla omnia, hanc esse absolutionem perfectionemque judicat

g Tract. in Joan.

cat caritatis, quum amantium vota divinis nutibus ita adhaerent, ut ipsa caritatis officia relinquantur eadem animi alacritate, qua sunt suscepta. Quid vero? siquis caritatis relinquat non officia, sed gaudia? Fundator ac Parens noster nunquam minus solus erat, quam quum solus esset, quippe qui, quum procul ab omnium oculis vel aeterna contemplaretur, vel statas funderet ad Deum preces, suavissimo saepe lumine circumfusus, suspensus aere deambulabat, tot tantisque beatae vitae jucunditatibus fruebatur, ut non raro etiam e domicilio erumperet supra fidem jucunda lux, saepe ad eum accedentibus diu immobilis, fixisque in altum oculis, nihil interrogantibus responderet, saepe denique in caelo se esse diceret, dum solus in cubiculo versaretur. Ejusmodi qui deliciis in secessu ac solitudine abundabat, facile ab eo crederes divinorum contemplationem quibuscunque caritatis officiis anteponendam. Errat vero qui ita de CALASANCTIO putat, vehementer errat. Quis enim cubiculum, caelestem veluti stationem aliquam, cum scholarum molestia libentissime commutabat? CALASANCTIUS. Quis, suscepto semel oneri ne deesset, suavissima cum Beatis colloquia hilari laetoque animo relinquebat? CALASANCTIUS. Quis divinae jucunditatis gaudia, pueris ut inserviret, noctu etiam interrumpebat? CALASANCTIUS. CALASANCTIO parum erat & opes & dignitates, & se ipsum reliquisse, nisi cum puerorum strepitu vestra quoque gaudia, caelestes Incolae, commutasset. O constantiae vim eximiam! o fortitudinem in proposito inauditam! At enim dicet fortasse aliquis eo jam pervenerat BEATUS JOSEPH, ut nulla hominum frequentia impedimento esset, quominus aeternae vitae jucunditates experiretur. Quoties enim coram populo, hoc ipso in templo, quoties in hujus domus sacello, puerorum spectante multitudine, aut verba de Deo faceret, aut inter sacra mysteria versaretur, vultu, oculis, manibus ac toto corpore caelestibus undique radiis circumsepto, non per speculum in aenigmate, sed manifesta in luce Deum cernere, Deum alloqui, praesenti Numine perfrui videbatur? Itaque si secretioris vitae voluptates, e proposito ne discederet, interpellabat, non, ut tu praedicas, adeo mirum est. Itane vero? Quod igitur cum Filio suo augustissima Dei Parens, tam BEATO JOSEPHO, quam ipsis pueris, quotquot in superiori sacello statis precibus aderant, e nube lucida se videndam dederit, & suavissimo quodam caelesti rore effuso, amoris largitatisque suae sempiternum in omnium animis monumentum reliquerit, neque hoc in caussa, de qua nunc agimus, est magnopere admirandum? An hoc

Tract. de Am. Divin. II. lib. III. 6.

ar-

argumentum est omnium maximum, quo & JOSEPHI institutum, & ejus in eodem constantia comprobetur? Qui hoc quidem in dubium revocet, arbitror esse neminem. Et quod ergo caelestes, puerorum gratia, relinqueret voluptates, & quod easdem ipsis cum pueris communicaret, hinc plane liquet, eam in proposito fortitudinem & constantiam habuisse sanctissimum Patriarcham, cui vix eloquentia possit orationem afferre satis accommodatam. Quaeret hic forte quispiam, haec tanta quum esset virtus, quis tam tetrum eidem indixit bellum, ut summa ejus fuerit in calamitatibus aequabilitas? Profecto haud frustra id quaeritur: mihi vero mentis oculos per omnia circumferenti, non unde incipiam, sed ubi desinam, dubitandum video: tanta fuit moles, unde vir optimus oppressus est, tanta acerbitas calamitatum.

II. Teterrimus ille virtutis proditor, qui mortem huic adhuc puero intentaverat, eundemque saepe deinceps hostem sibi omnium, qui tunc viverent, infensissimum appellaverat, & praecipitem deorsum egerat, primam dum campanulam convocandis adolescentibus in edito collocaret, quot in hunc Patriarcham, quoad vixit, procellas & tempestates excitaverit, nulla verborum copia satis commode explicabit. Itaque quid primum conquerar, quidve extremum? Vix scholas impensis aperuit suis, invidiae incendio conflagravisse, nec tam ejus famam per summum dedecus calumniis fuisse obnoxiam, quam vitam ipsam saepe ferro, saepe veneno? Ad externa pericula seditiones accessisse domesticas, & intus forisque vehementissime oppugnatum, nunc aliena avaritia, iniquitate, perfidia, scelere fuisse oppressum, nunc suorum inconstantia indignissime proditum, desertum, perditum? Paratas memorem hic ei insidias & comprehensum cum telo hominem paterno capiti imminentem, quem postea & egentem mirifice sublevavit, & aegrotantem quotidie invisit caritate plus quam paterna? Latronis audaciam recordabor, qui Ordini universo multis in civitatibus infamiae notam inusserat vix delendam, cui jam custodiae tradito, jam damnato suis ipse lacrimis veniam a Pontifice impetravit? Judae cujusdam pervicaciam commemorabo scelerum exercitatione corroboratam: multa ab hoc audacter, multa nefarie, multa improbe cogitata, conviciis & maledictis factorum contumeliam additam: carceris ignominiam & dictu asperam & auditu acerbam: omnem in Ordinis moderatione auctoritatem fraude ac dolo malo indignissime Fundatori ereptam: sanctissimi cor quoque Filii in tyrocinio extincti, quo ille recreabatur uno, per vim sublatum ac contume-

tumeliam intolerandam? Ea demum recenseam universa, quae Vir fortissimus invicto animi robore superavit magnificeque vicit, auctorem autem scelerum & viventem sincere amavit, & aegrotanti amanter adfuit, & extinctum publice illacrimavit? Dies me deficeret, si dicendo vellem nefarie in hunc cogitata & dicta & facta omnia per se magna non verborum exaggeratione majora reddere, sed strictim perstringere ac leviter velut transiens commemorare. Hostis enim teterrimus, stantem ut columnam dejiceret, nullis abstinuit fraudibus, nullis unquam machinis non usus est. Injecit tela, dixisset sic Chrysologus, huic si spectaculo adfuisset, injecit tela, quae potuit, & omnia armorum genera callidus exegit inimicus: nec tamen fortissimi militis aut mentem movere potuit, aut constantiam infirmare. An hunc de gradu dejecit, quum uno scelere iniquitatem vicit omnium reliquorum? B. Patriarcha Ordinem instituerat, quem & Summis Pontificibus confirmatum, & potentissimis optatum Regibus, & divinitus etiam prodigiis approbatum jam longe lateque divisum & in septem provincias distinctum summa cum animi voluptate intuebatur. Hoc ei solatium in calamitatibus erat unicum, quod Ordinem videret suum, quanto magis oppugnaretur, tanto impensius ab Episcopis virisque principibus postulari, ut interdum diceret; si filii essent, quos habeo, singuli pares decem, eorum votis satisfacere non possem omnium, qui nostri hujus instituti desiderio tenentur. Hinc frequenter cum Apostolo fatebatur, vera sese consolatione repletum esse, & in quibuscunque afflictationibus divino quodam gaudio jucundissime recreari. At o dolor! o vulnus! Serpens antiquus omnem movere lapidem, omnibus uti machinis summo furore coepit, & tandem Ordinem, de quo ille cogitans, in quem intuens, omnium, quibus undique conflictabatur, acerbitatum memoriam deponebat, funditus evertit, perdidit, dissipavit. Rex David omnium clementissime, quis dolorem neget in Absalonis interitu vehementissimum fuisse tuum? sed si tantus in proditoris & perduellis internecione luctus, quanto fuisset major, si vi, si injuria caesus paternos ante oculos occubuisset Salomon ille tuus? Quum delicias JOSEPHUM tuas, senectutis solatium, vitae columen laceratum audisti, extinctum, perditum, Patriarcha Jacob, tantus te incessit moeror, quantus in patrem cadere potest maximus: at quanto acerbior futurus erat, si morientis extremis interfuisses vocibus? si tu cladem oculis vidisses tuis, & bestiam ipsam crudeli in caede bacchantem? si nunquam demum, non dicam in altissimo maje-

1. Chrysol Serm. 128.

1. II. Cor. VII. 4.

jesta-

jestatis gradu tam praeclare sedentem, sed nunquam in ejus ore, in vultu atque oculis acquiescere potuisses? quod vestrum neuter, Prophetae amplissimi, Propheta hic noster expertus est. Neque vero sui proditorem desertoremque, aut filium adhuc adolescentulum, sed sua sibi vita cariorem, jamque adultum ac propagatum Ordinem extinctum vidit profligatumque, & quoad vixit, nec sublevare jacentem potuit, nec hostis audaciam frangere in excidio exultantem. At Propheta quum esset, quid deinceps futurum, non ignorabat. Imo & filiis ad primaeva jura certo rediturum Ordinem & voce & litteris praedicebat. Quid ergo? Non ignorabat futurum & Homo Deus, ut suis vulneribus in gloriam immutatis ad vitam ipse reflorescеret sempiternam. Ideone parum aut dolor vehemens, aut crux acerba? Nihil profecto minus. Quis ergo CALASANCTII dolor in tanto casu? Summus, singularis, incredibilis & omnino vix consolabilis. Ad hanc procellam adde quotidianos adversariorum impetus, quos in eum communis hostis vehementissime concitabat. Quod si, Cardinales amplissimi, qui vestrum ei patrocinium ultro offerebatis, toto lugente Ordine ac filiis omnibus nullam lacrimam adspexistis JOSEPHI, si animum semper eundem, fortem, mansuetum, magnum, si vultum, si orationem stabilem ac non mutatam vidistis, nolite hoc mirari: illud potius oro, ut admiremini, quod non modo, uti Bernardus jubet, quum opus non posset, mentem excusabat inimicorum, non modo gratum ingratumque non discernebat, non modo denique ex Evangelii praescripto, pro adversariis Deum enixe orabat, de iis item optime merebatur, sed, quod perfectissimae virtutis est, eos etiam amantissime diligebat. Quanquam & singulari hoc quoque parum constantiae fuit. Laudabo igitur in hoc homine, quod Chrysostomus in Sancto Jobo, qui aerumnarum caussam quum ignoraret, eas patientissime tolerabat? an ornamenta in eo mirabor omnia, quae scribit idem egregius Doctor heroicae constantiae pugilibus esse maxime necessaria? Alios haec laudatores habeant, ego in te, Parens optime, nihil suspicio aliud, nisi te ipsum, pacatum scilicet semper animum, vultum semper hilarem, serenum, tranquillum, placidum, perinde quasi illius jam quietis esses atque securitatis particeps, quam Augustinus ait solis in Caelo Beatorum mentibus reservatam. Haec quum ita sint, vestrum est statuere, Principes Eminentissimi, hanc in aerumnis aequabilitatem atque laetitiam animi constantissimam non virium fuisse propriam humanarum, sed prodigii simillimam existimandam.

Serm. XL. in Cant.

Epist. ad Olymp.

Homil. II. ad Pop.

1. Retract. 19.

III. Apo-

III. Apostolorum, qui gaudentes ibant a conspectu Concilii, summam in calamitatibus fortitudinem, quum tam excellenter invictus hic Patriarcha usque ad annos duos & nonaginta sit aemulatus, non multis mihi verbis nunc opus est demonstrare cupienti, Patriarcham hunc ipsum immortali miraculorum gloria fuisse divinitus illustratum. Etenim praeter ceteras maximas atque innumerabiles occupationes, quibus assidue distinebatur, haud postrema haec fuit, quod bene multi ad eum ventitarent, aut supplices darent litteras, qui morbo aliquo torquebantur, quorum tristem a se fere neminem dimittebat. Quocunque autem vel invitatus, aut ultro adiret, salus esse aegrotantium, praecipue pauperum, videbatur. Neque beneficentiam hanc suam non cum potentibus liberalissime communicabat, prae ceteris id magnifice praedicantibus Gynnasia, Biscia, Maxima, Columnensi, aliisque praeterea domibus, ubi tum lectissimi equites ac Matronae, tum Sacerdotes, Antistites, Cardinales hunc hominem aut Prophetam, aut Angelum feliciter experti sunt. Nullus est enim ordo, cui non se beneficum exhibuerit, nullum fere morborum genus, a quo non aliquem liberaverit. Quanquam non est, cur admodum miremur, morbos ab eo fugatos, qui mortem quoque ipsam triumphantem jam & exultantem evertit & perculit ab extinctis non modo hominibus, sed etiam bestiis. Immundi autem spiritus ut ejus aut potentiam metuerent, aut praesentiam fugerent, satis illorum praedicant dirae in hunc voces & execrandae. Jam quae ejusdem vestibus, quae capillis, quae munusculis, dum adhuc nobiscum degeret, vis esset indita, ne multis doceam, tria, quaeso accipite admiranda. Ex tertio domus tabulato super struem lapidum decidit Panormi puer, attrito hinc vulneribus toto corpore, praesertim capite miserandum in modum fracto laceratoque: acciti desperant salutem medici, tamen utcunque de more curant: infelix interea mater fidei speique plena inter vulnerum ligamenta JOSEPHI capillum inserit. Quid postea? mulieris fidem sequuta salus & perfecta & repentina. Contra Cajetae litus in ancipiti versabatur turbinibus ac procellis perculsa navis, ubi erat ex nostris unus: hic nautas hortatus, Deum ut CALASANCTII nomine invocarent, Crucem ligneam ab eo acceptam venerabundus in mare projicit: non modo tranquillitas repente oborta, sed Crux etiam conspecta est ante proram per mare recta ad portum pergere, quasi viam navigio designaret. In sinu Salerni navigabant iterum ex nostris duo, qui tempestate vehementissima ingruente *S. Philippi* Nerii, & Fundatoris invocato nomine, *hujus capillos in fluctus* mer-

mergunt: sedato repente mari dum nautae utuntur & gaudio gestiunt, vident ex suis unum desiderari procella abreptum: at casum complorantibus en procul nubes apparet candida & luce fulgens inusitata: ad eam conversis omnium oculis animisque fit varius exultantium clamor, nautarum scilicet alii socium suum, alii Philippum, nostri Fundatorem inclamant Patremque suum: in medio siquidem nubis, quae celeriter ad navigium accessit, incolumis erat naufragus, ad dextram JOSEPH, ad sinistram Nerius, quasi hic miraculum CALASANCTIO praecipue debitum tacite fateretur. Vos ego videre videor admiratione perculsos. Quid? si cetera mihi per tempus liceat commemorare? quid? si & ea, quae sunt Prophetae propria, recensere? At vero quam saepe periclitantibus absentibusque filiis voce, consilio, opera praesto fuerit: quot communi omnium judicio aut morituris vitam, aut mortem bene valentibus imminentem praedixerit, exitu oraculum comprobante: quam frequenter viris gravissimis haud perperam annuntiaverit dignitates, Purpuram, ipsum quoque Pontificatum: quam discipulorum, filiorumque arcana omnia & intimae cordium latebrae ejus essent oculis apertae explicataeque: quoties nostri remotis in provinciis siquid delinquerent, aut litteras ad eum darent, ipso momento temporis vel reprehensionem ab eo acceperint, vel responsum; si vellem singula numerando persequi non unius orationis negotium esset. Haec quum faceret adhuc in terris degens, quae tanta scribendi vis, tanta dicendi copia satis commode ornateque beneficentiam commendabit, quam Beatus JOSEPH ab illa immortalitatis sede in omne genus hominum declaravit? Illud vero me recreat, non opus eloquentia vobiscum esse depictos hic intuentibus aegrotantes ejus patrocinio tum paralysi, tum Aneurismate, aliisque morbis momento temporis felicissime liberatos: non opus eloquentia vobiscum est haud ignorantibus, quam multa cum aliis in Civitatibus, tum Florentiae potissimum Fundator noster prodigia gesserit ad memoriam hominum sempiternam: non opus demum eloquentia est inter hosce parietes, ubi & olim a CALASANCTIO complura mirabiliter gesta sunt, in praesens autem multa multis salutaria concessa sunt, atque ut de ceteris nihil dicam, haec qualiacunque dum ego scriberem, ejus accepta imagine, inops femina tam repente, ut vix sibi ipsa crederet, e gravi morbo, elephantiae non absimili, feliciter recreata est ac penitus liberata.

Quare quum Paraclitus ille Spiritus, cujus totum est, quod est optimum, tria haec sibi esse propria declaraverit, Celeri-

leritatem, Abundatiam, Firmitatem: quum autem Beatus Joseph & praeludiis, & incrementis, & victoriis suam in recte agendo Celeritatem ipsa ab adolescentia comprobaverit; Abundantiae vero suae hoc esse proprium in Sacerdotio ostenderit, mentes hominum illuminare, accendere, consolari; quum ejus denique firmitatem tum constantia in proposito admirabilis, tum summa in calamitatibus aequabilitas, & ad communem omnium utilitatem miraculorum gloria testificata sit, neminem fore arbitror, qui non multis justissimisque de caussis putet, me illud ab initio proposuisse, talem ac tantam fuisse generosi hujus Equitis, optimi Sacerdotis, Patriarchae sanctissimi caritatem, ut almus Spiritus hunc prae ceteris eximie & singulariter dilexisse quodammodo videatur. Quod si auctoritatibus & testimoniis hanc caussam confirmandam putetis, est mihi testis, caritatis perpetua sedes & jucundissimum Sancti Spiritus domicilium, ipsum Josephi Cor, quod, tam integrum, tam incorruptum, tam, fere dixerim, recens cernitis, ut, quum primum ad lucem rediit, ejus in obtutu obstupefactus haeserit, Vir integritate, virtute, prudentia singulari Praesul Romanae Ecclesiae ornatissimus: est mihi summae auctoritatis loco ipsa haec Celebritas, qua nihil aut spectabilius, aut magnificentius optari potest. Nam anno si seculari Divinus Spiritus majore, quam alias, benignitate largitateque hominibus impertire beneficia solet, quum primo recoli haec solemnia & anno seculari jusserit, & illo ipso triduo, quo hic ibidem Calasanctii parentalia celebrata sunt, in eo quidem delicias atque amores fuisse suos haud obscure significat, & quasi tacite nobis inquit; quicunque certum in calamitatibus columen habere cupitis, ite ad Joseph; quicunque optatis salutari apud me patrocinio inniti, caste & integre ite ad Joseph. Quid ergo dubitem ad Te confugere, Beate Joseph Scholarum Piarum Parens & Propagator? Apud illum, qui Te muneribus cumulatissime exornavit, Paraclitum Spiritum, Tuo ut patrocinio Ecclesiam universam benignissime complectaris, cum primis vero Benedicto XIV. Pontifici Maximo, qui judicio suo, auctoritate, opera singulari, tum Eminentissimo huic Ordini, qui consilio, sapientia, gravitate, ceteris demum omnibus, qui suis laboribus, inquisitionibus ac suffragiis hanc Tibi in terris gloriam, aeterno jubente Numine, detulerunt, in perpetuum adesse velis, Te etiam atque etiam supplex obsecro obtestorque. Utere cum hac quoque Urbe, altera veluti jucundissima Tibi patria, cum Aragonia pariter, ubi ad immortalitatem natus atque educatus es, apud Deum virtute utere ac patrocinio

Ludovicus Valenti Fidei Promotor.

nio

nio Tuo. Fac tandem, Paternam ut caritatem ubique ſentiat Scholarum Piarum Ordo univerſus, & quoniam hujus, auctore Numine, quum eſſes adhuc mortalis, & Fundator fuiſti, & Propagator, ex illa autem tua excelſa ſede Reſtaurator etiam feliciſſimus extitiſti, noli in Ordinis tui defendenda cauſſa defatigari, ſed id reipſa nobis omnibus Tute oſtende, omnes omnium caritates paterno nomine contineri.

